AUTHOR:

SAUPPE, HERMANN

TITLE:

HERMANNI SAUPPII CONJECTURAE...

PLACE:

GOTTINGAE

DATE:

1858


Master Negative #

93-81235-11

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record



87CE
Z8

Sauppe, Hermann, 1809-1893.
...Hermanni Sauppii Conjecturae tullianae. Gottingae, typis expressit officina academica Dieterichiana, [1858]
12 p. 28 cm.

At head of title: Index scholarum... in Academia Georgia Augusta per semestre hibernum anni MDCCCLVII-LVIII...

Restrictions on Use:


TECHNICAL MICROFORM DATA


FILM SIZE: 35mm REDUCTION RATIO: 13.5X
IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB
DATE FILMED: 3-31-93 INITIALS JAMES
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT





AIIM


Association for Information and Image Management
1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910
301/587-8202














INDEX SCHOLARUM

PUBLICE ET PRIVATIM

IN ACADEMIA

GEORGIA AUGUSTA

PER SEMESTRE HIBERNUM

ANNI MDCCCLVII — LVIII.

A DIE XV. M. OCTOBRIS USQUE AD DIEM XV. M. MARTII

HABENDARUM.



Praemissae sunt Hermanni Sauppii Conjecturae tullianae.

GOTTINGAE
TYPIS EXPRESSIT OFFICINA ACADEMICA DIETERICHIANA.
(GUIL. FR. KAESTNER.)

ACADEMIAE GEORGIAE AUGUSTAE

PRORECTOR

GUIL. THEOD. KRAUT D.

CUM SENATU.

Poscor. Nam collega conjunctissimus, cujus erat huic indici scholarum hiemalium uberrimo praefari, subito impeditus, quominus huic officio satisfaceret, a me petivit, ut vicarius suo muneri succederem. Quod ei gratificari cum lubentissimo animo paratus essem, tum non existimavi mea culpa committendum esse, ut haec consuetudo prooemii paullo uberioris indicibus scholarum praemittendi diuturno illa academiarum clarissimarum usu sancita et largo disputationum proventu eruditionis plenissimarum commendata in hac alma literarum sede aliquando intermitteretur. Sed cum non dierum, sed horarum, quae ad scribendum suppeterent, numerus ineundus esset, neque argumentum, quod ampliorem postularet quaestionem, eligi neque, quod elegissem, illustrari copiosiore tractatione et ornari posse intelligebam. Quare, quae disseram, aut veritatis aut nullam commendationem habebunt. Ea pertinent ad artem criticam in M. Tullii Ciceronis libris faciendam, in qua quidem post sterilem confidentiae torporem, quo aut omnia aut pleraque certa esse viderentur, his temporibus laeta quaedam et salutaris seges dubitationum provenit, quae uberrimos et tulit fructus et feret posthac. Nam si qua alia in re humana dubitationem in arte critica fontem veritatis esse intelligimus atque multo praestantius est et utilius, si quid certam cognitionem non habet, hoc ipsum cognosse, quam per ignaviam, quae incerta sunt, pro certis tenere. At si rectius ut in multorum scriptorum sic in Ciceronis libris criticam nunc fieri jure praedicamus, hoc eo maxime continetur, quod eorum, quos nos oculis et manibus versamus, codicum origines accurate vestigari coeptae sunt. Nam tum demum, postquam quid in archetypo vel archetypis scriptum fuerit cognovimus, certum fundamentum nacti sumus, quo jacto quid scriptor vel dixerit vel non dixerit judicare possimus. Qui aliter nuper judicavit, Johannes Bakius (de emendando Cic. oratore p. 22), miro errore eos qui de codicis archetypi rationibus quaererent non fundamentum ea re, sed finem quendam laborum suorum petere existimavit. Ne illi non minus quam ipse rationis praescripta sequuntur et speciem quandam scriptoris, quem tractant, acerrimis studiis effictam animo intuentur, sed certa vestigia ponere volunt nec cum molarum alis confligere vento impulsis. Oratoris vero ad M. Brutum, ut hoc ipso exemplo utamur, duo sunt genera codicum, alterum eorum in quibus §. 1—91 et 191—231 desunt, alterum eorum, qui illa habent, omnes illi ex codice quodam laudensi, circa a. 1420 invento, nunc vero perdito, descripti. Ac priores illi mira licentia

interpolati quam vetusta depravationis origo habenda sit ostendunt, cum etiam in abriucensi seculo nono scripto eadem fere vitia omnia inventa sint. Quid vero in laudensi fuerit, nunc collatis inter se einsidlensis vitebergensis dresdensis testimoniis efficiendum est, ita tamen ut einsidlensi primae concedendae esse videantur. Ac codicem illum laudensem et ipsum parum emendatum fuisse, sed et defuisse quaedam et glossematis, interpolationibus, aliis vitiis inquinatum fuisse loci permulti docent. Ita §. 27 intelligimus in laudensi fuisse: *graecie in hoc in eum huc an illuc.* Sed Demosthenis verba or. de cor. §. 232: *πάνυ γὰρ παρὰ τοῦτο, οὐχ ὁρᾷς; γέγονε τὰ τῶν Ἑλλήνων, εἰ τουτὶ τὸ ῥῆμα ἀλλὰ μὴ τουτὶ διελέχθην ἐγώ, ἢ δευρὶ τὴν χεῖρα ἀλλὰ μὴ δευρὶ παρήνεγκα.* ostendunt, quae Ambrosius in Lucam 2, 2 p. 1296 Mab. habet: *si orator illorum, qui phaleras sermonum sequuntur, negat in hoc fortunas positas esse Graeciae, hoc an illo verbo usus sit, sed rem spectandam putat* et Augustinus contra Cresconium 2, 3: *cum tamen ei nonnullam locutionis insolentiam objecisset Aeschines, negavit ille, in eo positas esse fortunas Graeciae, illone an illo verbo usus fuerit et huc an illuc manum porrexerit,* ex eo Ciceronis loco, quem tractamus, desumta esse. Recte igitur his locis ad supplenda ea quae exciderunt usi Meyerus et Orellius scripserunt *hoc an illo verbo usus sit, huc an illuc manum porrexerit,* O. Jahnius *illone an illo verbo usus sit et huc an illuc manum porrexerit.* Atque Augustinum sequendum esse facile existimaveris, cum Ambrosius partem tantum aliquam loci attulerit, sed cum *fuerit* ferri non posse Jahnius ipse recte intellexerit, quippe quod Demosthenem non fecisse aliquid aliquando, sed in statu aliquo per aliquod tempus fuisse significaret, tum etiam *illone* non recte positum esse demonstrare posse videor. Videndum enim est, quomodo in codice laudensi oriri illa potuerint *in hoc in eum,* quae ab hominibus doctis non recte apparet prorsus neglecta esse. Mihi in illis videtur *hocine an* inesse, ut locum Ciceronis ita scribendum esse existimem: *Itaque se purgans jocatur Demosthenes: negat in eo positas esse fortunas Graeciae, hocine an illo verbo usus sit, huc an illuc manum porrexerit.* Nam quod J. Bakius l. d. p. 43 *jocatur* deleri voluit, quid dicendum fuerit imperiose decernentis est, non quid Cicero dixerit codicum testimonio tum credentis, cum dicere non potuisse nullis rationibus effici possit. Quod vero jocari alienum fuisse ab indole Demosthenis dixit, satis habeo §. 90 attulisse, cujus loci interpretes locos Quintiliani 6. 3, 2 et Longini *π. ὕψους* 34, 3 conferri voluerunt. *hicine,* quod in codicis verbis corruptis mihi videtur latere, eodem modo ex codice tegernseensi in or. pro Milone §. 104 nuper a G. Baitero restitutum est. — Haud dissimilis ratio est §. 62: nam *et longe omnium, quicunque scripserunt aut locuti sunt, exstitit et gravitate princeps Plato* in laudensi fuisse apparet, cum codd. Lambini et palatino quinto Gruteri, in quibus post v. *exstitit* verba *et suavitate* addita esse dicuntur, contra einsidl. vitebergensis dresdensis consensum nihil quidquam videatur tribuendum esse. Ac necessaria esse haec verba et loci sententia docet, quo de ornatu orationis explicatur, et particula, quae est *et,* satis monstrat: neque enim F. Handius

Tursellini 2 p. 518 comprobasse existimandus est *et* a Cicerone pro eo, quod est *etiam,* dictum esse. Quodsi verba illa addenda esse intelligimus, veriore tamen conjectura *et gravitate [et suavitate]* scribi docent §. 168: *nam et verba eligebant et sententias graves et suaves reperiebant.* §. 182: *compositio autem ab utroque differt, quae tota servit gravitati vocum aut suavitati.* — Etiam Bruti §. 191 videor mihi emendationem ab O. Jahnio optime inchoatam perficere posse. Nam cum in codd. esset *Plato enim mihi unus instar est omnium me illum et recte,* Corrado duce Jahnius scribi voluit: *Plato enim mihi unus instar est milium. Et recte.* Sed *milium* non videtur sic dici posse. Ac quid scribendum sit ostendit ep. ad Att. 2. 5, 1: *Cato ille noster, qui mihi unus est pro centum milibus.* Quare etiam in Bruto Cicero videtur scripsisse: *Plato enim mihi unus instar est centum milium.* Proverbialis dictionis, qua Cicero etiam ep. ad Att. 16. 11, 1 usus est: *εἷς ἐμοὶ μύριοι,* origo ad Heraclitum referenda est; nam Theodorus Prodromus in Lazeri Miscell. p. 20: *ὁ εἷς μύριοι,* ait, *παρ' Ἡρακλείτῳ, ἐὰν ἄριστος ᾖ.* Anthol. Palat. 7, 128: *Ἡράκλειτος ἐγώ· τί με ὦ κάτω ἕλκετ' ἄμουσοι; Οὐχ ὑμῖν ἐπόνουν, τοῖς δέ μ' ἐπισταμένοις. Εἷς ἐμοὶ ἄνθρωποι τρισμύριοι· οἱ δ' ἀνάριθμοι Οὐδείς. ταῦτ' αὐδῶ καὶ παρὰ Περσεφόνῃ.* cf. Jac. Bernays Heraclitea 1 p. 35. Similiter Agatho Platonis Sympos. p. 194. C: *ὅτι νοῦν ἔχοντι ὀλίγοι ἔμφρονες πολλῶν ἀφρόνων φοβερώτεροι.* — Sed redeo ad Oratorem, cujus §§. 44—49 postquam Cicero de inventione breviter exposuit, §. 50 brevissime dicit, quid oratori in collocandis iis, quae invenerit, videndum sit. Sed quanquam breviter se de inveniendo et collocando moniturum esse §. 44, monuisse §. 50 et 54 ipse dicit, tamen quae nunc §. 50 leguntur mutila esse facile est ad demonstrandum. Nam quatuor esse partes orationis, prooemium, narrationem, argumentationem, perorationem cum saepissime Cicero dixit, tum §. 122 sqq. Haec quamvis brevissime etiam §. 50 commemoranda erant. Sed postquam de prooemio haec posuit: *vestibula nimirum honesta aditusque ad causam faciet illustres, cumque animos prima aggressione occupaverit,* de narratione nihil dicitur, argumentationis pars altera tantum, qua *adversaria evertuntur* (§. 122. cf. §. 124 *et in refellendo*) commemoratur, prior, qua orator *sua confirmat* (§. 122. cf. §. 124 *et in docendo*), omittitur, deinde postquam de posteriore illa argumentationis parte haec dicta sunt: *infirmabit excludetque contraria, de firmissimis alia prima ponet, alia postrema, inculcabitque leviora,* requirimus, ut etiam de peroratione aliquid addatur. Haec negligentia Ciceroni ipsi tribui non potest, sed quae de narratione, de argumentationis parte priore, de peroratione dixerat, errore librariorum excidisse statuenda sunt. Quare ita fere haec scribi potuisse dixerim: *cumque animos prima aggressione occupaverit [et perspicue breviterque narraverit, sua confirmabit] infirmabit excludetque contraria.* Quae vero de peroratione dixerit, intelligi ex iis potest, quae §. 122 legimus: *post omnia perorationem inflammantem restinguentemve concludere.* — Transeo ad aliud genus vitiorum: nam in codice laudensi haud pauca addita fuisse, quae non a Ciceronis manu essent, sed grammaticorum male sedulae dili-

gentiae deberentur, facile demonstrari potest. Sic §. 80 cum in laudensi fuerit: *in alienis aut tralatum aut factum aliunde ut mutuo aut factum ab ipso aut novum aut priscum et usitatum*, O. Jahnius recte videtur scripsisse: *in alienis aut tralatum, aut factum ab ipso, aut priscum et inusitatum.* — Non magis ferri ea possunt, quae §. 57 leguntur: *dicit plura etiam Demosthenes, illumque saepe dicit voce dulci et clara fuisse.* Nam quod Cicero antea dicit: *est autem in dicendo quidam cantus obscurior, non hic e Phrygia et Caria rhetorum epilogus, paene canticum, sed ille, quem significat Demosthenes et Aeschines, cum alter alteri obicit vocis flexiones* tale est, ut nisi summa arte temperatum est oratori vitio vertatur, dulcem vero et claram vocem in virtutibus illius habendam esse patet neque Demosthenes commemoravit, nisi ut id rideret, in quo sibi Aeschines unice placebat. Quare verba illa *dicit plura — fuisse* ut a Ciceronis consilio prorsus aliena, sic plane incondita et inepta (*dicit plura — illumque saepe dicit*) H. Meyerus et J. Bakius l. d. p. 49 recte videntur deleri voluisse. Neque omittendum aliud est. Cum enim in vitebergensi et dresdensi *illumque dicat* inveniri testetur Meyerus, *dicat* in einsidlensi quoque esse Orellius tradat, num vero *saepe* in eo inveniatur valde dubium sit, in laudensi videtur fuisse *illumque dicat voce — fuisse* et qui haec adderet scripsisse *in illum, quem dicat* —. — Deinde §. 93 haec leguntur: *quod quanquam transferendo fit, tamen alio modo transtulit, cum dixit Ennius 'arce et urbe orba sum', alio modo, si pro patria arcem dixisset, et 'horridam Africam terribili tremere tumultu' cum dicit, pro Afris immutat Africam.* Cicero duo translationum genera commemorat, ut aut similitudo ab alia re transferatur aut pro verbo proprio aliud ex re aliqua consequenti sumptum subjiciatur, quod genus posterius metonymia vel hypallage appellatur. Quorum diversitas bene illustratur duobus Ennii locis, altero de Andromacha (Vahlen tragoed. v. 114), altero de Annalibus (Vahlen annall. v. 311), nam orbitas ab re simili translata est, Africa per metonymiam posita pro Afris. Quae exemplorum perspicuitas non tantum, sed etiam orationis concinnitas (*alio modo — alio modo*) turbatur additis verbis *si pro patria arcem dixisset.* Quare et haec recte videtur Fr. Goellerus delevisse, nec minore jure, quae sequuntur *pro Afris immutat Africam*, J. Bakius l. d. p. 56 pro additamento grammatici hominis habuisse. — Ac cum §. 4 legeretur: *quod si quem aut natura sua aut illa praestantis ingeni vis forte deficiet aut minus instructus erit magnarum artium disciplinis, teneat tamen eum cursum quem poterit.* O. Jahnio persuasi verba, quae sunt *aut natura sua*, delenda esse eamque conjecturam meam testimonio Columellae confirmari adnotavit, apud quem de R. R. 1 praef. §. 29 haec leguntur: *verumtamen quod in Oratore jam M. Tullius rectissime dixit, par est eos, qui generi humano res utilissimas conquirere et perpensas exploratasque memoriae tradere concupiverint, cuncta tentare. Nec si vel illa praestantis ingenii vis vel inclytarum artium defecerit instrumentum, confestim debemus ad otium et inertiam devolvi.* Neque enim *natura* ullo modo a *vi ingenii* distingui vel ei opponi potest. Nam si quando naturae et disciplinae tertium ad-

ditur, quo ad eloquentiam impetrandam opus sit, exercitationem dicitur accedere oportere. Brut. §. 25: *sive illa* (eloquentia) *arte pariatur aliqua sive exercitatione quadam sive natura.* de Orat. 2 §. 150: *inter ingenium quidem et diligentiam perpaullulum loci reliquum est arti.* 1 §. 113 sqq. Plat. Phaedr. p. 269. D: *εἰ μέν σοι ὑπάρχει φύσει ῥητορικῷ εἶναι, ἔσει ῥήτωρ ἐλλόγιμος, προσλαβὼν ἐπιστήμην τε καὶ μελέτην.* Aliter comparata sunt, quae Oratoris §. 99 leguntur: *si ad hoc unum est natus aut in hoc solo se exercuit aut huic generi studet uni.* Non minus male me tripartitum illud habet, quod est Bruti §. 276: *nec erat ulla vis atque contentio: sive consilio, quod eos, quorum altior oratio actioque esset ardentior, furere et bacchari arbitraretur, sive quod natura non esset ita factus, sive quod non consuesset, sive quod non posset.* Qui non facit aliquid, aut non vult aut non potest: qui non potest, aut natura non ita factus est aut non didicit. Sed non velle et natura non ita factum esse et non posse componi ut opponantur non possunt. Neque quod Orellius dicit hoc quod non potuerit ad vires corporis referendum esse vel O. Jahnii explicatio *posse* ampliore sensu dictum esse censentis, ut quacunque de causa non potuisse M. Calidius dicatur, his tenebris illustrandis sufficiunt. Quare verba *sive quod non posset* aut cum G. L. Walchio emendat. livian. p. 213 ad explicanda ea, quae praecesserunt *sive quod natura non esset ita factus* a grammatico adscripta esse existimanda aut, quod praefero, loco mutato ante haec verba *sive quod natura non esset ita factus* collocanda sunt. — Redeo ad Oratorem. §. 25 haec leguntur: *Itaque Caria et Phrygia et Mysia, quod minume politae minumeque elegantes sunt, asciverunt aptum suis auribus opimum quoddam et tamquam adipatae dictionis genus, quod eorum vicini, non ita lato interjecto mari, Rhodii nunquam probaverunt, Graeci autem multo minus, Athenienses vero funditus repudiaverunt.* Tria genera eloquentiae distingui solent, asiaticum, rhodium, atticum. Brut. §. 51: *hinc asiatici oratores non contemnendi quidem nec celeritate nec copia, sed parum pressi et nimis redundantes; rhodii saniores et atticorum similiores.* cf. Quintilian. 12. 10, 16. In Graecia vero ipsa studium eloquentiae proprium erat Athenarum neque in ulla alia civitate oratores exstiterunt. Brut. §. 49: *hoc autem studium non erat commune Graeciae, sed proprium Athenarum. quis enim aut argivum oratorem aut corinthium aut thebanum scit fuisse temporibus illis? — Lacedaemonium vero usque ad hoc tempus audivi fuisse neminem.* Adde Velleji l. 1. c. 18. Tacit. dialogi §. 40. Ecquinam igitur praeter Athenienses cogitari possunt Graeci, qui multo minus quam Rhodii fastum Asianorum probaverint? Accedit quod concinnitas atque aequabilitas orationis turbatur, cum Graeci, quos magis cum Atheniensibus, quam cum Rhodiis conjungi par erat, nullo adjecto verbo peculiari cum Rhodiis componuntur. Quare haec verba *Graeci autem multo minus* mihi videntur delenda esse, adjecta illa, ut ratio, quae inter Rhodios intercederet, qui nunquam probarint, et Athenienses, qui funditus repudiarint, facilius perspiceretur. — Ac quanquam qui via et ratione artem criticam facere voluerit, nisi argumentis diligentissime conclusis de

glossematis non cogitabit, tamen codicum cognitione optimorum haud raro verbis scriptorum addita esse, quae vel inepta sint vel plane non necessaria esse videantur, certissime comprobatur. Quare hic paucos quosdam aliorum librorum M. Tullii locos addam, quibus eam medicinam adhibendam esse statuam. Ac primum quidem disput. tusculanarum l. 5 §. 7 in verbis: *itaque et illos septem, qui a Graecis σοφοί, sapientes a nostris et habebantur et nominabantur, et multis ante saeculis Lycurgum — et jam heroicis aetatibus Ulixem et Nestorem accepimus et fuisse et habitos esse sapientes.* vix credideris omnes patienter tulisse verba *qui — nominabantur.* Tulliumne tam infantem fuisse, ut diceret: *illos septem, qui sapientes habebantur et nominabantur, accepimus et fuisse et habitos esse sapientes?* Deinde quaenam est ista eruditio a Graecis illos σοφοὺς nominatos esse monentis? Porro a Romanis etiam Ciceronis aetate septem illi sapientes et habiti et nominati sunt, ut tempus imperfectum importunum esse intelligamus. Denique unde haec verba petita sint facile perspicitur, nam §. 8 haec legimus: *a quibus ducti deinceps omnes, qui in rerum contemplatione studia ponebant, sapientes et habebantur et nominabantur*, quo loco haec verba aptissima esse patet. Ciceronis igitur haec verba non esse ut G. Tischero persuasi, sic etiam aliis me probaturum esse confido. — Ejusdem libri §. 48: *vir igitur temperatus, constans, sine metu, sine aegritudine, sine alacritate ulla, sine libidine nonne beatus?* Cur *ulla* additum sit, explicare interpretes probabiliter non potuerunt: neque enim alacritas magis libidini contraria est, quam aegritudini metus, ut Kühnerus *ulla* ad oppositionem magis efferendam additum esse recte dixisse existimari non possit, neque Ciceronem omnem alacritatem a sapiente alienam esse indicaturum *ulla* addidisse Klotzio concedimus, nam eam alacritatem, quae iis, quae vera et bona sint, strenue agendis continetur, sapienti si cuiquam alii convenire intelligimus, qualis vero in eum non caderet, reliquis locis additis vocabulis, quae sunt *insolens, inanis, futilis*, indicavit, hoc loco indicari non opus erat, cum reliqua verba, quibuscum conjungeretur, perturbationem animi intelligendam esse satis ostenderent. Neque vero addito pronomine *illa*, quam Nissenii conjecturam nuper G. Tischer probavit, Stoicorum alacritatem intelligendam esse significari vel opus erat vel apte poterat. Veritatis vestigia videtur Nonius Marcellus servasse, apud quem p. 457, 6 codd. haec habent: *sine aegritudine sine alacritate ulla libidine*, hoc est: *sine alacritate, nulla libidine*. Cf. tuscul. 2 §. 26: *sed is quasi dictata, nullo delectu, nulla elegantia.* — Maxime vero tres libros de officiis interpretamentis grammaticorum corruptos esse, quae ab hominibus doctis ex codd. mss. minoris pretii adnotata sunt, luculentissime docent; quorum numerum perquam magnum cum codd. meliorum ope abjectum esse intelligamus, quo jure etiam in optimis haud pauca inveniri negabimus? Sic cum 1 §. 40 optime factum sit quod in libris optimis non habetur, ea, quae 1 §. 36 sq. narrantur, Ciceronis esse non posse nuper demum J. Könighoff et O. Heinius suo jure exposuerunt. Sed cum alii loci permulti sint, quibus idem accidisse vel dudum vel nondum intellectum sit, tres nunc breviter pertractabo.

Ac primum quidem 1 §. 74 in verbis: *multi enim bella saepe quaesiverunt propter gloriae cupiditatem, atque id in magnis animis ingeniisque plerumque contingit eoque magis, si sunt ad rem militarem apti et cupidi bellorum gerendorum*, quae sunt ultima *et cupidi bellorum gerendorum* dico delenda esse. Nam quomodo tandem ii maxime bella quaesivisse dici possunt, qui sunt cupidi bellorum gerendorum? Hoc ferri non posse J. F. Heusinger cum perspexisset, *callidi* legi voluit, sed cum haec vocabula commutata esse parum verisimile sit, tum parum hoc videtur ab iis differre, quae praecedunt: *ad rem militarem apti*. Satius est existimare verba *cupidi bellorum gerendorum* ab eo, qui rem memorabilem tractari monere vellet, in margine adscripta fuisse. — 1 §. 118: *nam quod Herculem Prodicium dicunt, ut est apud Xenophontem, cum primum pubesceret, — exisse in solitudinem atque —*. Sic Orellius. Sed cod. a: *herculem dicit*, ita ut supra lineam adscriptum sit *Socrates*, b c E et f a pr. m. *herculem prodigum dicit.* Inde mihi videor intelligere Ciceronem scripsisse: *nam quod Herculem est apud Xenophontem —*. In margine adnotaverant vel *Socrates dicit* vel *Prodicus dicit*, quae deinde verbis Ciceronis inserta ut reliquis accommodarentur et ipsa mutata sunt et particula quae est *ut* addita est. — 2 §. 32 Cicero exponit, quomodo gloria pariatur, ac primum quidem esse, ut diligat multitudo. Hanc benevolentiam autem multitudinis maxime beneficiis capi. Quae ut in populum conferri possint, cum opibus magnis opus sit, addit, qua ratione benevolentiam et amorem multitudinis conciliare sibi possit etiam qui beneficiis non possit. Dicit igitur: *ac primum — benevolentiae praecepta videamus, quae quidem capitur beneficiis maxime, secundo autem loco voluntate benefica benevolentia movetur, etiamsi res fortasse non suppetit. Vehementer autem amor multitudinis commovetur ipsa fama et opinione liberalitatis beneficentiae justitiae fidei omniumque earum virtutum, quae pertinent ad mansuetudinem morum ac facilitatem.* Beneficia igitur in se collata multitudo ipsa experta novit, sed quomodo voluntatem beneficam cognoscere possit non video nisi fama eorum, quae quis in vita privata egerit, quo animo fuerit erga amicos eosque omnes, quibuscum vivat. Quae igitur deinde de fama et opinione liberalitatis et beneficentiae explicantur, non videntur a voluntate benefica, quae antea commemoratur, diversa esse. Accedit, quod *voluntas benefica*, etiamsi cum exemplis iis, quibus F. Handius de arte lat. scrib. p. 250, C. Naegelsbachius praec. lat. scribendi p. 189, M. Seyffert ad Cic. Lael. §. 28 p. 191 consilium prudens, excusationem sapientem, consilia amantissima dici posse ostenderunt, aliquo modo comparari potest, tamen suspicionem habet. Deinde parum apte dicitur: *benevolentiae*, quae *capitur* maxime, secundo autem loco — *benevolentia movetur* — amor *commovetur*. Quare cum v. *autem*, quod est ante v. *amor*, in codd. a d f non exstet, in ea sum sententia, ut Ciceronem scripsisse conjiciam: *secundo autem loco, etiamsi res forte non suppetit, vehementer amor multitudinis commovetur —*, verba autem *voluntate benefica benevolentia movetur* in margine posita fuisse. Quam saepe vero particulae, quibus verba copulantur, eo ipso, quod in codicibus optimis non

exstant, indicium faciant verbis scriptoris aliquid primum errore additum, deinde particula addita errorem ad speciem correctum, re auctum esse, artis criticae periti omnes norunt. Sic tuscul. 1 §. 38 cum in regio *honore disciplina* esset, Tregderus *honore* recte deleri voluit, quanquam aliud esse judicium video A. S. Wesenbergii emendat. M. Tullii Cic. tuscul. disput. Part. II p. 9 sq., sed honor ab auctoritate, quae deinde disciplinae opponitur, non diversus est. Similiter de nat. deor. 2 §. 26 cum in aliis codd. sit *effusio*, in aliis vel *et effusio* vel *effusioque* vel *effusae*, verba *et effusio* videntur delenda esse. Ejusdem libri §. 83 in verbis *quodsi ea, quae a terra stirpibus continentur, arte naturae vivunt et vigent, profecto ipsa terra eadem vi continetur et arte naturae* ultima *et arte naturae* videntur ex prioribus ab eo addita esse, qui quaenam illa *eadem vis* esset explicare vellet, cum in codd. optimis *et* non inveniatur. Similiter de Off. 1 §. 13 in verbis *nisi praecipienti aut docenti aut utilitatis causa juste et legitime imperanti* O. Heinio persuasi *praecipienti* delendum esse, nam Cicero, si vv. *praecipere* et *docere* conjungere vellet, *aut praecipienti et docenti* scripsisset. — Quibus locis ipsis commoueor, ut ad Oratorem revertar, cujus §. 37 eadem ratione emendari posse existimo. In cod. laudensi haec scripta fuerunt: *laudationum scriptionum et historiarum et talium suasionum, qualem Isocrates fecit Panegyricum multique alii, qui sunt nominati sophistae, -- non complectar.* Quaenam *scriptiones* intelligendae sint nescitur, nam de philosophorum libris, quod Orellius voluit, hoc vocabulum per se solum intelligi non potest. Quare Lambinus scribi voluit *laudationum, suasionum et historiarum et talium scriptionum, qualem* —, sed Panegyricum et a laudationibus et a suasionibus genere diversum esse parum commode dicitur. Quod vero O. Jahnius posuit *laudationum et vituperationum et historiarum*, id mihi neque necessarium videtur esse, cum laudationibus commemoratis de genere demonstrativo cogitandum esse satis appareat, et nimis a codicis vestigiis recedere, quam ut probabilitatis speciem habeat. Verisimilius illud, quod J. Mützell in diurnis rebus gymnas. destinatis 1850 p. 606 proposuit: *laudationum scriptionem et historiarum et talium suasionum* —, sed laudationibus illud non satis convenit, quibus cum genus demonstrativum eloquentiae indicari facile intelligatur, de orationibus non tantum scriptis, sed etiam habitis cogitandum est, nec Cicero unquam, quod meminerim, in simili re sic dixit. Quare mea sententia potius haec est, ut *scriptionum* grammatico deberi existimem ejusque rei indicium in eo inesse, quod particula *et*, quae ante hoc vocabulum addenda erat, in libro laudensi deest. Hoc vero glossemate videtur ille explicare voluisse, quaenam essent illae suasiones, quales Isocrates scripsisset, et quomodo ab iis, quas Romani vulgo dicerent, discriminandae: de qua re Jahnius optime exposuit. — Etiam §. 33, cum pro eo, quod in laudensi fuit *sed etiam admirabili fama virtutum incredibilium*, nunc legatur: *sed etiam incredibili fama virtutum admirabilium*, mihi *admirabili* potius videtur delendum esse, adscriptum illud ad explicandum v. *incredibilium*, ne quis parum credibiles, confictas esse opinaretur, quas Cicero incredibiles dixit, quia non viderentur ab uno homine conjungi

posse. — Sed in laudensi etiam multa alia vitiorum genera fuisse multis exemplis comprobari potest. Hic duo locos breviter tractabo. §. 47 nunc auctore J. Lipsio, quae in codice gymnasii lovaniensis inventa esse dicit Variar. lectionum 2 c. 7, leguntur: *facile igitur hic noster — quoniam loci certi traduntur, percurret omnes, utetur aptis, generatim dicet.* Alia in codice laudensi fuerunt: *facile igitur hic noster — ut quoniam loci certi traduntur percurrat omnes, utatur aptis, generatim dicat.* Quae parum verisimile est sic corrupta esse, sed potius videntur monere, ut vitii sedem aliam quaeramus. Ac mihi quidem videtur Cicero scripsisse: *Faciet igitur hic noster, — ut, quoniam loci certi traduntur, percurrat omnes, utatur aptis, generatim dicat. Ex quo emanant — —.* Nota sunt illa *fac ut, faciendum est ut.* — §. 74. *si denique pictor ille vidit, cum immolanda Iphigenia* (cf. Offic. 1 §. 5 *nullis officii praeceptis tradendis*) *tristis Calchas esset, maestior Ulixes, maereret Menelaus, obvolvendum caput Agamemnonis esse, quoniam summum illum luctum penicillo non posset imitari.* Quae interpretes dixerunt, ut maestitiam Ulixis a maerore Menelai distinguerent, non intelligo, sed maerorem tristitia graviorem esse et vultu gestuque testatiorem animi commotionem certum est. Intelligerem, si Cicero scripsisset: *cum tristis Calchas esset, maestior Ulixes, maxime maereret Menelaus*, ac defendi hoc posset collato Plinii loco N. H. 35. 10, 73: *nam Timanthi vel plurimum adfuit ingeni; ejus enim est Iphigenia oratorum laudibus celebrata, qua stante ad aras peritura, cum maestos pinxisset omnis praecipueque patruum et tristitiae omnem imaginem consumpsisset, patris ipsius voltum velavit.* Sed *maxime maereret* parum placeret ac multo certiorem, nisi fallor, emendationem suppeditat locus Quintiliani, qui hoc ipso Oratoris loco usus 2. 13, 13 haec scripsit: *Nam cum in Iphigeniae immolatione pinxisset tristem Calchantem, tristiorem Ulixen, addidisset Menelao quem summum poterat ars efficere maerorem.* Quare etiam Ciceronem dico scripsisse: *cum tristis Calchas esset, tristior Ulixes, maereret Menelaus.* — Obiter addo §. 41 ab omnibus editoribus verba *praeterea ad virtutem major indoles* non recte cum iis, quae sequuntur, conjungi, cum Socratis in extrema pagina Phaedri platonici verba haec sint: *δοκεῖ μοι ἀμείνων ἢ κατὰ τοὺς περὶ Λυσίαν εἶναι λόγους τὰ τῆς φύσεως, ἔτι τε ἤθει γεννικωτέρῳ κεκρᾶσθαι.* Quae igitur sequuntur *ut minime mirum futurum sit*, non tantum ad virtutis indolem majorem pertinent, sed quod in Isocrate et ingenium uberius et major ad virtutem indoles est, Socrates sperat fore, ut majora aliquando concupiscat. Quare scribendum est: *majore mihi ingenio videtur esse, quam ut cum orationibus Lysiae comparetur, praeterea ad virtutem major indoles; ut minume mirum futurum sit* —. — Denique §. 68 in verbis *tum etiam nonnullorum voluntati vocibus magis quam rebus inserviunt* rectius nunc, quod in laudensi fuit, *voluntati* restituerunt, cum priores cum Aldo *voluptati* scribendum esse existimassent. Neque tamen videtur Cicero dicere voluisse, quid poetae quidam sui temporis nonnullorum judicio et voluntati satisfacturi in carminibus componendis sequerentur, sed qua re ex nonnullorum judicio ars poetica ipsa contineretur. Nam exponit, cur poe-

tae universi sibi cum oratoribus comparandi non esse videantur. Quare scribendum existimo *nonnullorum voluntate*, cf. epist. ad famil. 13. 5, 2: *cum — reditus in patriam voluntate omnium concedi videretur*.

Gottingae a. d. V. Kal. m. Augusti a. MDCCCLVII.

RECITATIONES ORDINARIAE.

ORDINIS THEOLOGORUM.

J. G. REICHE, Dr., hora IX—X sexies p. h. *tria priora evangelia* interpretabitur; hora XI—XII quinquies *Isagogen in libros N. T. canonicos historico-criticam* tradet; *Societatem exegetico-dogmaticam* moderabitur.

FRIDERICUS EHRENFEUCHTER, Dr., publice *Regii Seminarii homiletici exercitationes* publice moderabitur die Saturni h. X—XII, item publice *exercitationes catecheticas* more sueto moderari perget. Privatim *Theologiae practicae* partem priorem i. e. prolegomena, doctrinam de fidei propagatione et praecepta catechetica tradet, scholis quaternis dieb. Lun. Mart. Jov. et Vener. h. III—IV. *Apologiam religionis christianae* ad usum auditorum ordinum omnium accommodatam exponet dieb. Mart. Mercur. Jov. et Vener. h. XI—XII. *Societatem* ad *theologiam practicam* pertinentem gratis instituet.

J. A. DORNER, Dr., *systematis fidei christianae partem alteram* seu *Dogmaticen strictiori sensu dictam* senis scholis hora XII; praeterea *Theologiam biblicam V. T.* quater h. IV exponet, denique *Societatem theologicam* moderari perget die Merc. h. vesp. VIII—X.

J. G. LUDOVICUS DUNCKER, Dr., publice *Historiam sacrorum saec. XVI. instauratorum* enarrabit diebus Mart. et Veneris hora IV—V Privatim *Historiae ecclesiasticae partem secundam* h. VIII - IX. senis, et *Historiam dogmatum* h. V—VI quinis scholis docebit. *Societatem theologicam* instituet.

L. F. SCHOEBERLEIN, Dr., publice *exercitationes liturgicas* sodalium Seminarii practico-theologici moderabitur die Sat. h. IX—X, et una cum Hille, Mus. Dir. Acad., *cantum ecclesiasticum* eos docebit die Merc. VI—VII; privatim *Catecheticen* et *homileticen* hora III—IV dieb. Lun. Mart. Jov. et Vener. tradet; *epistolas Jacobi*, *Petri et Judae* hora V—VI dieb. Lun. et Mart. interpretabitur. Praeterea *Societatem dogmaticam et ethicam* die Jov. VI—VIII moderari perget.

*

FRID. GOD. RETTIG, Dr. ph., Generalis Superintendens princip. Gotting., cursum *lectionum* suarum semestri aestivo continuabit, *exercitationes catecheticas* hora commilitonibus commoda moderari perget.

ORDINIS JURISCONSULTORUM.

GEO. JUL. RIBBENTROP, Dr., privatim tradet hora X—XI *Historiam juris Romani*; hora XII—I *Institutiones juris Romani*.